

## IV

### CONCESSIO ET CONFIRMATIO LIBERTATIS

1222 aprile 8 - 27, Grosseto.

I conti Ildebrandino IX e Bonifacio Aldobrandeschi, anche a nome dei fratelli Guglielmo e Ildebrandino minore, concedono e confermano ai cittadini e al comune di Grosseto la libertà già concessa dal loro padre, il conte Ildebrandino VIII. In Grosseto, nella chiesa di S. Michele. Successivamente, anche il conte Guglielmo ratifica la concessione. In Grosseto, nella Chiesa maggiore.

Originale, ASS, *Diplomatico Riformagioni*, 1222 aprile 8 [c. 39]. Copia autentica, ASS, *Capitoli 2*, cc. 341r-342v. Regesti: *Inventario generale del R. Archivio di Stato in Siena. Parte prima (Diplomatico, Statuti, Capitoli)*, Siena 1899, p. 122; A. LISINI, *R. Archivio di Stato di Siena. Inventario delle pergamene conservate nel Diplomatico*, Siena 1908, pp. 172-173 (con data 28 aprile 1222 per il giuramento di Guglielmo); *Regestum Senense. Regesten der Urkunden von Siena*, I. *Bis zum Frieden von Poggibonsi, 713 - 30 juni 1235*, bearbeitet von F. SCHNEIDER (*Regesta chartarum Italiae, VIII*), Roma 1911, n. 620, pp. 277-279 e n. 623, p. 280; G. CIACCI, *Gli Aldobrandeschi nella storia e nella Divina Commedia*, tomo II, Roma 1934, n. CCCXVIII, p. 112 (con data 28 aprile 1222 per il giuramento di Guglielmo).

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei eterni amen. Anno eiusdem MCCXXII, indictione X, mense aprilis, indictione eiusdem, die octava intrante. Cum deceat nobiles fideles eorum ad sua obsequia beneficiorum largis et munificis amplexibus invitare et maxime illos qui numquam in dominorum suorum servitiis inveniuntur tepidi vel remissi, idcirco nos Ildebrandinus et Bonifatius, Dei gratia comites palatini, pro nobis ipsis et Guglielmo et Ildebrandino iuniore, fratribus nostris comitibus palatinis, universorum tam presentis quam futuri evi duximus notitiam perferendum quod nos attentes fidem, devotionem nec non multa, maxima et preclara servitia que dilecti fideles nostri cives Grosseti bone memorie predecessoribus exhibuerunt et habuerunt erga eos et ea etiam servitia, que fidem cives fideles nostri nobis gratauerunt nostro tempore exhibuerunt et in posterum exhibituri per se et suos heredes nobis et heredibus nostris creduntur Domino permittente ad concedendam et confirmandam ipsis civibus et ipsius civitatis comuni recipientibus pro ipso comune et hominibus omnibus communis ipsius presentibus et futuris Mangiante potestate, Albertino de Nobile camerario, Ranerio Pidollio, Hermanno Maçagalli, Boniço de Nobile, Henrigucio et Detaviva Scaldone consiliariis civitatis ipsius, libertatem eadem<sup>1</sup> quam pater noster comes Ildebrandinus palatinus tradidit et concessit eis tanto libentius statuimus et animosius assurgendum quanto ipsos perpetuo de fidelibus fideliores et promptiores de promptis ad nostra et nostrorum heredum servitia credimus permansuros ea vero<sup>2</sup> concessio et confirmatio dicte libertatis firmitatem et memoriam obtineant firmitatem<sup>3</sup> sempiternam ipsam in scriptis redigi iussimus sicut inferius per singula continetur. In primis ante omnia Grossetanos habitatores omnes presentes et futuros absolvimus ab omni emptione, prestantia et venditione factis per vim ab aliqua persona et ab omni cuiuslibet rei ablutione per vim similiter, nisi fiat pro bannis et aliis rationibus curie que auferri debeant sicut in carta ista continentur. Item absolvimus eosdem ab omni guida, pedagio et ripa per vim in toto districtu Grosseti. Item absolvimus omnes vicinos Grossetane civitatis olim insuetos Grosseti curaturam dare ab eius exactione et mercatores venientes ad Grossetum ad aliquod mercatum comparandum similiter ne aliquid ibi largiantur nisi ut antiquitus largiri solebant. Item relaxamus universis omnem pene impositionem ex parte curie, excepto quod inponens penam X soldos curie persolvat et cui fuerit inposita persitat<sup>4</sup> absolutus. Item banna extranea et dissueta quibus inposita fuerint obmittimus ex toto inponentes tamen ea XX soldos curie pagent. Item

<sup>1</sup> Così nel testo.

<sup>2</sup> vero in interlinea con richiamo.

<sup>3</sup> Segue se corretto su oe, tutto espunto.

<sup>4</sup> Così nel testo.

volumus quod nullum bannum a XL soldis superius valeat, sed a XL soldis inferius volumus banno valere in hunc modum: si qua persona pro aliquo suo debito vel ratione recuperanda<sup>5</sup> personam aliquam aliam in bannum a XL soldis inferius miserit, ipse qui missus fuerit pagabit bannum curie si se defendere non poterit quod ipse in ipsum non ceciderit et debitum vel rationem solvat ei qui bannum inposuerit et debitum vel rationem rehabere debet; et si defendere se poterit pagabit ille qui bannum mittet tantum quantum fuerit illud quod denominabitur a mittente pro banno. Item confirmamus et volumus illum teneri capitulum scriptum per manum Siçii notarii et concessum civibus Grosseti a bone memorie patre nostro de remissione et relaxatione afficti totius ab anno Domini MCC quarto, VI idus settembris, indictione octava usque a<sup>6</sup> V annos completos et a V annis in antea usque ad XX annos reservamus nobis et heredibus nostris X soldos de unoquoque foco de Grosseto annuatim et a XX annis in antea in perpetuum pro quolibet foco XX soldos similiter annuatim, exceptis omnibus albergaritiis et illis qui noviter et antiquitus a nobis seu matre vel patre nostro quod concesserimus liberi facti sunt inde vel liberabuntur in futuro a nobis vel heredibus nostris, de quorum omnium focus supradictorum scilicet exceptorum, nichil habebimus. Item de sale qui Grosseti per tempora fiet reservamus nobis similiter medietatem sicut actenus habuimus, excepto eorum sale qui liberi sunt vel fuerint, ut dictum est; et pro quolibet curru dicti salis de quo partem habere debemus duodecim denarios pro carregiatura dabimus et non plus nec minus quicquid costet ad carregiandum; et non faciemus de cetero aliquam doganam de sale Grosseti, nisi fyeret comuni consilio terre ipsius. Item reservamus nobis et heredibus nostris banna quedam<sup>7</sup> secundum subscriptum modum: de percussura facta ferri et vulnere utpote cultelli, spate seu alterius ferri unde sanguis exierit si infra muros civitatis fuerit pagabit soldos LX<sup>8</sup>, similiter etiam de eo qui alium vocaverit periurum vel boçam irato animo reservamus nobis soldos LX<sup>9</sup> infra muros civitatis, de foris vero de utroque soldos XL. Item de maçe vel bastonis percussione irato animo facta XX soldos si sanguis inde exierit et si sanguis inde non exierit X soldos. Item de gotata V soldos exceptis de supradictis omnibus familiariis propriis et hiis qui super furtum vel aliquod dapnum fuerint inventi et etiam hiis qui in etate non erunt de quibus omnibus nulla persona<sup>10</sup> teneatur; mulieres tamen bannis adeo gravibus puniri nolumus, quia de gotatis et capillis inter se factis nichil tribuant, sed si aliqua femina irato animo aliquem hominem periurum vel boçam vocaverit pagabit curie XX soldos; et si una femina in boça maritum aliam vocaverit, pagabit similiter X soldos curie, de quibus omnibus suprascriptis bannis excipientur omnes milites et omnes quocumque modo exempti et quicquid fiet ioco battallie; et ea castaldus noster auferet ab eis qui pagare ipsa debebunt postquam inde querimoniam accipiet ac faciet pagari debitum ei qui bannum mittet si pro debito vel ratione recuperanda bannum positum fiet; verumtamen de percussionibus ferri, maçe ac bastonis querimoniam nullam expestet. Item volumus quod castaldus noster iuret consulibus de Grosseto annuatim sicut alii homines eiusdem terre et iurabit observare omnia capitula ad ipsum pertinentia pro facto curie superius et inferius scripta et contra nullo ingenio venire. Ad hec preter supradicta damus hominibus de Grosseto presentibus et futuris liberam potestatem mittendi consules in Grosseto quem vel quoscumque voluerint, dum tamen ipse vel ipsi sint vel debeant esse nostri fideles [per] fidelitatem sive per feudum, nisi forte contumaces essent in prestanda nobis fidelitate quam debent prestare. Item volumus quod homines et comune Grosseti de cetero nullo modo recipiant homines nostros seu comitatus nostri pro habitatoribus vel civibus Grosseti. Item feminis que ad maritandum remanserint damus licentiam se maritandi per sensum et voluntatem propinquorum suorum parentum nobis inrequisitis et aliis dominis earum et hoc intelligatur de possessionibus huius terre. Item volumus quod quamcumque de cetero alicui comuniter dederimus libertatem firmam semper tenere debeamus super omnibus his etiam volumus ut nullum devetum in

<sup>5</sup> recuperanda con per in interlinea con richiamo.

<sup>6</sup> Così nel testo.

<sup>7</sup> banna quedam prima del signum notarile con richiamo.

<sup>8</sup> LX corretto su XL eraso.

<sup>9</sup> LX corretto su XL eraso.

<sup>10</sup> Segue tenua espunto.

Grosseto fiat nisi fieret per aliam terram nostram de Maritima. Item volumus quod familiares curie nostre qui rationem et pretium recipiunt a curia nostra pro labore quam fieri faciemus in terra ista nullum dapnum faciant quin puniantur sicut alii homines a consulibus de Grosseto. Item volumus quod<sup>11</sup> quamcumque compara<sup>12</sup> per curiam facta fideiussor aliquis constitutus fuerit; si debitum non fuerit persolutum, debitor possit conqueri de fideiussore consulibus sine contradictione aliqua et consules teneantur inde ei rationem facere, sed si pignus aliquod positum fuerit ab aliquo pro curia et illud fuerit oportunum curie possit ipsum curia rehahere dum tamen curia pignus aliud bonum secundum debitum in cambium vel etiam fideiussorem donet. Item volumus quod forensium omnium morientium sine penitentia qui aliquem consanguineum Grosseti non habuerint, omnia bona curie relinquantur et si cum penitentia decesserint quodcumque testamentum considerint ratum habeatur dum tamen aliquid curie iudicent. Item homicidas, falsatores et publicos latrones reservamus voluntati et arbitrio nostris et iudicio; alias quoque rationes nostras reservamus nobis utputa de portis, foro portibusque nec non et hostes, cavalcatas, guerram et pacem sicut hactenus habuimus, et guidas eodem modo preterquam de superius exemptis; in omnibus et super omnia istud precipue addentes quod nullus habitator Grossetane civitatis fiat de cetero qui nobis et heredibus nostris fidelitatem non prestet et ut omnia supradicta vim et vigorem debitum atque costantiam a nobis et heredibus nostris perpetim optineant et in nullo umquam violenter per nos et heredes nostros de ipsis omnibus observandis dictos Mangiantem potestatem, camerarium et consiliarios supradictos recipientes pro comune investivimus ad penam mille marcarum argenti et insuper ad supradictorum perpetuam firmitatem et etiam subscriptorum dictus comes Ildebrandinus per se iuravit tactis sanctis evangeliis firma et rata habere omnia supra et infrascripta et nullo ingenio seu modo contravenire per se suosque heredes. Et dictus comes Bonifatius per se et suos heredes iuravit. Idem hoc adito quod ipse faciet supra et infrascripta omnia rata et firma habere ab Ildebrandino iuniore fratre ipsorum et per sacramentum et cartam firmari cum in estate fuerit infra mensem a die inquisitionis ei inde facte a Grossetanis vel eorum nuntio ad hoc statuto sub pena prefata, dum tamen a comune Grosseti que nobis et heredibus nostris reservavimus in toto vel in parte non auferantur vel minuantur. Et si ablaliquo<sup>13</sup> ablatum vel diminutum aliquod inde fuerit et ab auferente vel diminuente non emendatum extiterit et comune tertio requisitum illud emendare pro posse suo nobis bona fide vel heredibus nostris qui passi fuerint iniuriam non fecerit, ablator vel diminutor dicta libertate privetur et communitas nichilominus suam habeat integre libertatem et ipsa communitas nobiscum debeat esse contra eum qui rationes nostras diminuere<sup>14</sup> vel tollere vellet et nollet emendare ut dictum est. Et ipsi prememorati Mangiante potestas, camerarius et consiliarii pro dicta communitate Grosseti que nunc est vel erit sub eadem mille marcarum argenti pena omnia supradicta nobis et heredibus nostris observare facere et adimplere promiserunt et sic iurabunt semper consules et omnes de Grosseto habitatores de consulatu<sup>15</sup> in consulatum qui consulibus pro facto civitatis sacramentum fecerunt<sup>16</sup>. Actum in civitate Grosseti in ecclesia Sancti Michaelis, presentibus Uguacione de Saxoforti, Gregorio de Sancto Geminiano, Soarço de Colle, Matheo de Castellione, Manto de Grosseto, Thomasio quondam Gerardi Benencase, Ildebrandino Balesii, Tancredo Oçi, Petro de Salvi et Ildebrandino Christiani et multis aliis testibus ad hec rogatis. Postea vero anno et inductione superius dictis mense eodem, die quarto exeunte, in matrice ecclesia Grossetana Guilielmus comes palatinus, dictorum comitum frater, omnia et singula supradicta ad dictam mille<sup>17</sup> marcarum penam per se et suos heredes rata et firma habere perpetuo et contra nullo ingenio venire<sup>18</sup> [promisit] et quod faciet ita quod dictus Ildebrandinus iunior frater ipsorum cum in estate fuerit omnia supradicta firma et rata habebit et per sacramentum et cartam firmabit et hoc

<sup>11</sup> Segue quod espunto.

<sup>12</sup> Nel testo compararam con m espunta.

<sup>13</sup> Così nel testo.

<sup>14</sup> Segue ti espunto.

<sup>15</sup> Nel testo consulatum con m espunta.

<sup>16</sup> Segue postea vero espunto.

<sup>17</sup> Nel testo millarum con arum espunto.

<sup>18</sup> Segue segno di richiamo.

faciet infra mensem a die inquisitionis ei inde facte a Grossetanis vel eorum nuntio ad hoc statuto<sup>19</sup>; et sic per singula firma tenere et teneri facere et compleri et firmari iuravit tactis corporaliter sanctis evangelii, presentibus Iordano de Gradule, Uguccione de Saxoforti, Morovello de Monte Piscali, Umberto de Gresia, Viviano de Sacco, Salvio notario et multis aliis testibus ad hoc rogatis. Ego Ranerius notarius de mandato, rogatu et voluntate dictorum comitum precibus etiam et rogatu dictorum Mangiantis potestatis, Albertini de Nobile camerarii, Ranerii Pidolli, Hermanni Maçagalli, Boniçi de Nobile, Detavive Scaldonis et Henrigucii consiliariorum pro ipso comuni his omnibus interfui, scripsi ut supra per singula legitur, correxi per puncta, emendavi manu propria et signavi et partes duas scilicet banna quedam que debent legi ubi dicitur secundum subscriptum modum sicut per eandem pactorum concordantiam<sup>20</sup> demonstratur. (SN) signum dicti Ranerii notarii.

---

<sup>19</sup> Segue promisit con segno di richiamo.

<sup>20</sup> Nel testo concordantias con s corretta.